

R. 2. *Delegatam* potestatem habent ii omnes, quibus haec specialiter conceditur ab aliquo habente potestatem ordinariam reservandi, et a reservatis absolvendi. Patet ex praxi omnium dioecesium.

843. R. 3. Jure *Trid.* sess. 24. de reform. c. 6. concessum est Episcopis, ut possint in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicae reservatis delinquentes quoscumque sibi subditos, in dioecesi sua per se ipsos aut Vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiae gratis absolvere, imposita poenitentia salutari. Idem et in haeresis crimine in eodem foro conscientiae eis tantum, non eorum Vicariis sit permissum. Hinc difficultas oritur circa eum, qui interius fidei articulo dissentitur, suumque dissensum signo externo pandit, quin tamen idecirco fuerit ad forum iudiciale deductus. De hoc quaeritur, an quamdiu delictum ejus occultum est, possit ab Episcopo pro foro conscientiae absolvi vi facultatis a *Trid.* concessae, an vero praefato Tridentini decreto haec facultas per Bullam *Coenae Domini* Episcopis sit adempta. Affirmativam, quod scilicet ea potestas sit adempta, erudite docet *Bened. XIV.* L. 7. de Synod. Dioeces. c. 32. ... primo quidem, quia sufficienter derogatur Concilio Tridentino per illam generalem clausulam in Bulla *Coenae* contentam: *Non obstantibus Constitutionibus Apostolicis, et cujusvis Concilii Decretis.* Secundo, quia idem non semel decisum est a sacris Urbis Congregationibus, quarum ministerio solent Pontifices mentem suam manifestare. Tertio, ait, quia majorem adhuc firmitatem huic sententiae adjecit *Alex. VII.* per damnationem tertiae propositionis, quam vide in P. I.

Idem *Bened. XIV.* ibid. n. 4. ait: *Communiter quoque Doctores, non tantum Episcopo, verum etiam cuilibet simplici Confessario facultatem concedunt absolvendi ab haeresi pure interna et mentali, nullo signo exteriori manifestata: absolutio quippe ab haeresi est summo Pontifici reservata, solum ratione censurae eidem haeresi annexae; Ecclesia autem, sicuti non potest per se directe et immediate praecipere, aut prohibere actum mere internum; ... ita non potest haeresim, quae in actum exteriorum non prodit, censura perstringere.* Ibid. subdit: *Censuram pariter evaderet, possetque pro foro conscientiae ab Episcopo aliove simplici Confessario absolvi, qui exterius verbo vel facto aliquem negaret fidei articulum, retento tamen interiori assensu circa illum: nam iste, etiamsi graviter contra fidei articulum peccaret, non tamen esset formaliter haereticus, ac propterea non irretiretur censuris in haereticos inflictis ... in foro autem externo esset puniendus tanquam haereticus, nec ei crederetur asserenti, se interiori assensu firmiter adhaesisse veritati, cui visus est exterius dissentire.* Notat etiam hic *P. Gobat*, quod Episcopi Germaniae a Sede Apostolica super hoc requisita soleant singulis quinquenniis obtinere facultatem ab haeresi absolvendi, cum potestate eandem licentiam etiam aliis communicandi.

844. Aliud privilegium Episcoporum habetur ex jure Can. in c. *Mulieres.* c. *quamvis.* c. *de caetero.* de sentent. excomm., vi cujus possunt absolvere a quocumque peccato, et censura summo Pontifici reservata suos subditos, qui ob impedimentum perpetuum aut diuturnum non possunt accedere ad summum Pontificem. Huic privilegio neque per Bullam *Coenae*, neque per decretum *Alex. VII.* derogari, cum *communione* affirmat *Duarte V.* Bulla *Coenae*, n. 75. Ejusmodi impedimenta in specie recensent *Illung.* t. 6. d. 6. q. 6. a. 3. n. 216., *Abbas Rassler* de poenit. c. 7. §. 18., *Filliuc.* t. 15. de cens. c. 1. a num. 36. Quorum primum est, periculum mortis in itinere, aut gravis alicujus incommodi incurrendi. Secundum, Infirmas longa, etsi non sit periculosa. Tertium, Paupertas; ut si quis deberet mendicare, qui alias mendicare solitus non est; si alias mendicus esset, tene-

retur ire, nisi mendicando cogeretur se, uxorem et liberos alere. *Quartum*, Aetas sive senilis, sive puerilis. *Quintum*, Sexus foemineus. *Sextum*, Obligatio alendi uxorem, filios et familiam arte aut labore. *Septimum*, Obligatio, qua quis alteri adstrictus est, qualem habent filii, servi etc. qui tunc excusantur, si nequeant adire Pontificem sine magno incommodo parentum vel dominorum. *Octavum*, Impotentia ad iter faciendum, qualis est in claudis, aut podagra laborantibus etc. etc.

845. R. 4. Quibus Regularibus competat potestas absolvendi a casibus Papalibus, ex cujuslibet Ordinis privilegiis colligendum est. Confessariis Soc. Jesu *Paulus III.* anno 1545. in Bulla: *Cum inter*, concessit facultatem, quorumcumque utriusque sexus Christi fidelium ad eos undecumque accedentium confessiones audiendi, et confessionibus diligenter auditis, ipsos et eorum singulos ab omnibus et singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus et delictis quantumcumque gravibus et enormibus, etiam Sedi Apostolicae reservatis, et a quibusvis, ex ipsis casibus resultantibus sententiis, censuris, et poenis Ecclesiasticis (exceptis contentis in Bulla, quae in die *Coenae Domini* solita est legi) absolvendi.

846. A casibus vero Episcopalibus reservatis nullus Regularis sine licentia Episcopi potest absolvere, etsi posset absolvere a quibuscumque Papae reservatis. Ita *Clemens X.* in Bulla: *Superna*, ubi §. 6. declarat, ex facultatibus per *Mare magnum*, aliave privilegia, Regularibus cujuscumque Ordinis, Instituti, aut Societatis etiam Jesu concessis, factam eis non esse potestatem absolvendi in casibus ab Episcopo sibi reservatis. Ibid. §. 7. Et habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicae reservatis, non ideo a casibus Episcopo reservatis posse absolvere. *Confirm.* ex propositione 12. ab *Alexand. VII.* damnata. Vide etiam *Constit. Benedicti XIV.* infra n. 1426.

847. Q. XIV. Quid faciendum Confessario non habenti facultatem absolvendi a reservatis, si poenitens cum ejusmodi peccatis veniat? R. Regulariter ipsum non debet absolvere, sed vel illum mittere ad Superiorem (ut vult *Trid.* cit. n. 685.) vel ad alium Sacerdotem, qui habet facultatem in reservata; vel si poenitens sine periculo aut gravi difficultate ad alium mitti nequeat, expedit, ut ipse Confessarius a Superiore facultatem absolvendi saltem pro tali casu petat.

Dixi, regulariter: si quia enim necessitas poenitentem ad confitendum urgeat, v. g. si is ad evitandam infamiae notam, aut malam suspensionem celebrare, aut Eucharistiam sumere debeat, et Superior conveniri non possit, Confessarius potest talem absolvere, sed cum onere, ut data opportunitate se sistat Superiori, vel alteri habenti facultatem absolvendi a reservatis. Quo casu directe quidem a non reservatis, indirecte autem a reservatis, ut vult *Laym.* L. 5. t. 6. c. 12. n. 10. absolvetur. Juxta *Gobat* vero hic n. 385., *Sporer*, *Diana*, *Marchant.* et alios ab utrisque directe. Ratio est, quia Ecclesia pia mater et quilibet Superior non potest censi velle obligare ad aliquid vel moraliter impossibile, vel ad tantum incommodum aut famae periculum in tali casu subeundum. *Confirm.* Ipse summus Pontifex in cap. *Quamvis.* 58. etc. *Mulieres.* 6. de sent. excom. expresse declarat, eos, qui ob inopiam, vel gravem difficultatem non possunt adire Romam, posse absolvi ab Episcopis: ergo a pari. Porro, si quis postea compareat coram Sacerdote habente tantum delegatam potestatem in reservata, teneatur peccatum reservatum sacramentaliter illi confiteri; quia huic non datur jurisdictio in poenitentem, nisi pro foro sacramentali. Episcopus autem potest reservationem etiam extra Sacramentum tollere. Hinc resolvit *Babenstuber* t. 8. p. 6. d. 6. a. 4. n. 21. cum *Palao*, quando poenitens Superiori



confessus fuit peccatum reservatum, ab ipso tamen non absolutus missus est ad inferiorem Sacerdotem, hoc ipso censi sublatam esse reservationem. Juxta *Suar.* de poenit. d. 31. sect. 4. ob integritatem Sacramenti Superior non potest in confessione audire sola reservata, et pro absolutione non reservatorum remittere ad inferiorem.

848. Q. XV. An absolutus in articulo mortis a reservatis a Sacerdote non habente potestatem in reservata, etiam teneatur se sistere Superiori, si reconvescat? R. *Negative*; tum quia in tali articulo nulla est reservatio; ergo etiam nullum remanet onus reservationis: tum quia nullibi talis obligatio imponitur. *Excipe* tamen, *nisi peccato annexa sit censura excommunicationis*: tunc enim talis se Superiori sistere debet, non quidem ut a peccatis absolvatur, sed ut obedientiam praestat, et se subjiciat remediis ac poenitentiis. Si autem se non sistat, committit peccatum grave inobedientiae, et reincidit in sacramentalem censuram, ut colligitur ex c. *Eos qui*, de sent. excomm. in 6.

849. Q. XVI. Quid hic intelligatur per articulum mortis, ubi cessat reservatio? R. Non intelligitur tantum praecise ultimum vitae instans, sed quodlibet probabile mortis periculum, in quo videlicet frequenter contingit, ut homines facile moriantur; tale periculum solent adducere gravis morbus, capitalis sententia iudicis, imminens conflictus cum hoste, partus difficilis, navigatio tempestuosa, contagio pestifera etc. *Babenst.* l. c. n. 29. cum *Laymann* et *Stoz.*

850. Q. XVII. An confessus habenti facultatem in reservata, sed oblitus suum reservatum, possit a quocumque Confessario postea absolvi? R. *Affirmative* cum *Leonard.* de poenit. q. 15. §. 6. n. 213., *Lug.*, *Navar.*, *Henriq.*, *Viva*, et aliis. *Ratio* est, quia talis absolvens expresse vel saltem virtualiter vult facere quantum potest, cum expresse dicat: *In quantum possum, et tu indiges*: atqui potest Confessarius tollere reservationem peccati obliti etiam directe, etsi indirecte tantum a culpa peccati obliti absolvat, quia ablatio reservationis non fundatur in sola vi indirectae absolutionis a culpa, sed in potestate Confessarii: ergo etiam censi debet velle tollere reservationem peccati forte obliti. *Confirm.* Ipsi adversarii *Angelus*, *Sylv.* et *Rosella* fatentur nostram resolutionem veram esse, si absolvens intenderit poenitentem liberare ab omnibus peccatis et censuris. Item juxta *Suarez*, si poenitens expresse diceret, se velle absolvi a reservatis, si quae habeat; ergo etiam vera manet resolutio, etsi absolvens velit implicite absolvere, et poenitens absolvi a reservatis.

851. Q. XVIII. Quenam sint regulae generales, ex quarum directione Confessarius facile possit judicare, an peccatum in confessione expositum sit reservatum, nec ne? R. *Primo*, attendat, an adsint quatuor supra requisita, scil. an sit mortale, an externum, an consummatum eo modo, quo exprimitur in decreto reservationis, denique an sit certum. *Secundo*, in materia reservationis non valet argumentum a simili, nec a majori ad minus, quia reservatio potius pendet ex voluntate, quam actione reservantis; unde non valet argumentum: Legens librum haereticum incidit in excommunicationem Bullae Coenae: ergo etiam audiens concionem H. Nec valet: Haeresis est reservata: ergo etiam blasphemia, quae est peccatum gravius. *Tertio*, quando reservatio vel excommunicatio fertur in *facientes*, illam non incurrunt *mandantes, auxilium ferentes, faventes*, nisi id exprimat, vel aliunde clare colligatur. *Navar.* c. 27. n. 51. *Quarto*, quando reservatio vel excomm. fertur etiam in *dantes consilium, auxilium et favorem*, intelligi debet de iis, qui efficaciter concurrunt, ita ut sine illo consilio, auxilio aut favore alias crimen commissum non fuisset. *Navar.*

ibid. *Palao* et alii. *Quinto*, quando excommunicatio vel reservatio fertur contra eos, qui aliquid *facere praesumunt*, non comprehenduntur ii, qui ex metu aut simili affectu id faciunt. Item, quando dicitur *scienter*, non incurrunt, qui id ignoranter fecerint. *Leonard.* hic q. 15. §. 4. *Sexto*, potestas *Ordinaria* absolvendi a reservatis est favorabilis, et late interpretanda, quia datur ob commune bonum. Pariter late interpretanda *delegata*, si detur in gratiam Confessarii; secus si detur in gratiam hujus tantum vel illius poenitentis, quia tunc non censetur dari, nisi pro bono privati. *Palao, Sanch.* l. 8. de matrim. d. 2. n. 6. *Septimo*, circa peccatum complicitis bene hodie notandum, quod duplici sensu possit sumi, et duplex sit reservatio a summo Pontif. *Bened. XIV.* juxta dicta num. 820. *Primo* enim peccatum complicitis ita reservatum est, ut nullus Confessarius personam, cum qua ipsemet commisit peccatum turpe atque inhonestum contra sextum praeceptum, ab hoc peccato possit absolvere; quilibet vero alius Confessarius approbatus ambos hos complices, v. g. Cajum Sacerdotem et Bertam, cum qua Cajus peccavit, possit absolvere. *Secundo*, si vero complex complicem absolvere ausus fuerit, a nullo Sacerdote, praeterquam a summo Pontifice (vel alio, qui gaudet speciali privilegio et facultate absolvendi a peccatis Sedi Apostolicae reservatis) talis complex Sacerdos potest absolvi.

852. Unde redimus ad primam Q. n. 781. propositam. Si *Norbertus* Sacerdos ille Bambergensis hoc sensu peccatum complicitis fuerit confessus, ut praeterea non absolverit suam complicem, *Nicasius* Sacerdos Herbipolensis et quicumque alius approbatus illum potuit absolvere; secus si praeter commissum peccatum contra sextum praeceptum, *Norbertus* etiam absolverit Bertam suam complicem, sicut intellexerat *Nicasius*. Sic enim recte denegavit absolutionem, quia non habebat facultatem absolvendi a tali reservato.

#### SECTIO IV. Casus de sigillo confessionis.

I. *Nicanor neo-Confessarius in familiari colloquio cum Titio jocosè dicit, primam suam poenitentem fuisse adulteram. Post alterum mensem, cum eundem inviseret, ingreditur in conclave uxor Titii, quam Nicanor amice salutatur, et eorum, quae nuper dixerat, immemor addit, ipsam fuisse primam suam confitentem. Combinavit haec dicta cum dictis nuperis Titius, et postea incautum Confessarium tanquam adulterii testem ad iudicem vocat, uxorem autem ab eo tempore omni modo aversatur.*

853. Q. I. Quid dicendum ad praesentem casum? R. *primo*, *Nicanor* in dato casu vere violavit sigillum, quia vere manifestavit peccatum, quod ex sola confessione noverat. An vero graviter in hoc casu peccarit, ex eo resolvendum: si enim aliquo modo adverterit periculum revelationis, et nihilominus, licet jocosè tantum, dictum incautum protulerit, peccavit graviter; secus si plane inadvertenter et ex mera imprudentia, non ex deliberata malitia locutus fuerit. Vide dicenda n. 861.

R. *Secundo*, *Titius* male egit contra sigillum confessionis vocando *Nicanorem* ad iudicium, et aversando uxorem, quia utrumque fecit ex notitia, quae tantum orta est ex confessione sacramentali. Adde, quod testimonium Confessarii ex scientia confessionis nullam fidem faciat in foro exteriori, ut patet ex c. *Dilectus* de excess. Praelat., ubi rubrica expresse ait, quod ad revelandum peccatum confessum Sacerdos compelli non possit. Neque notitia peccati ex sola confessione hausta ullo modo servit iudici ad ferendam sententiam, quia non est notitia legalis et humana, ideoque nec utilis ad commercium humanum.



854. Q. II. Ex qua confessione contrahatur obligatio sigilli? R. Obligatio sigilli oritur ex omni et sola confessione sacramentali. Illa autem confessio censetur sacramentalis in ordine ad inducendam obligationem sigilli, quae ex intentione se accusandi in ordine ad absolutionem obtinendam fit ei, qui bona fide creditur iudex legitimus, etiamsi non sequatur absolutio quavis de causa. Ita *Babenst.* t. 8. p. 6. d. 6. a. 5. n. 6. cum comm. DD. Unde

855. *Resolves.* I. Ille tenetur obligatione sigilli sacramentalis, cui poenitens confitetur bona fide existimans esse Sacerdotem, cum non sit, aut habere potestatem absolvendi, cum non habeat; quia talis confessio saltem in existimatione et intentione poenitentis est sacramentalis. Idem dicendum de eo, qui se finxit Sacerdotem, et ob talem fictionem causa fuit, quod poenitens sua peccata manifestaverit; quia poenitens hoc fecit animo confitendi, et in ordine ad sacramentalem confessionem, *Bonac.* de poenit. d. 5. q. 6. sect. 5. p. 2. n. 2. cum *Regin.*, *Graffio*, et aliis contra *Onuphrium*.

856. II. Juxta *Nav.* in Summa c. 8. n. 7., *Adrian.* q. ult. de confess., *Salmant.* et alios etiam oritur obligatio sigilli ex ea confessione, quae scienter fit laico, aut Clerico non Sacerdoti, praesertim si quis erronee putaret, etiam laicum in absentia Sacerdotis posse absolvere, eo quod ista confessio saltem ex intentione poenitentis fiat sacramentalis. *Suar.* vero l. c. sect. 2. n. 2., *Bonac.* l. c. cum multis affirmant, inde non oriri hoc sigillum, sed tantum naturale secretum; eoquod non sit confessio sacramentalis ex defectu Sacerdotis.

857. III. Obligatio sigilli oritur non tantum ex illa confessione, quam sequitur absolutio, sed ex omni alia, quae fit animo obtinendi absolutionem, sive sit valida, sive invalida, sive perfecta, sive inchoata tantum. *Ratio* est, quia omnis ejusmodi confessio saltem imperfecte et ex animo confitentis est sacramentalis. Ita *Babenst.* l. c. n. 16. cum *Rassler*, *Metzger* et *Salm.*

858. IV. E contra juxta *Laym.* l. 5. t. 6. c. 14. n. 1. non oritur obligatio sigilli, si quis animo simulato accedat et confiteatur, non ut Sacramentum poenitentiae accipiat, sed ut Sacramento vel Confessario illudat, vel ab ipso aliquid furetur, aut illum inducat ad peccatum. Addit *Suar.* l. c. n. 6., quando poenitens ipse aperte declarat talem animum, scil. non confitendi sacramentaliter, datam resolutionem esse certissimam, quia talis confessio nullo modo ad sacramentalem referri potest. In eo tamen casu, quo Confessarius adhuc dubius esset, an poenitens confiteatur animo obtinendi absolutionem, manet obligatio sigilli, quia praesumi debet in favorem tum poenitentis, tum confessionis, ne illa reddatur odiosa. *Suar.* l. c. n. 6., *Bonac.* l. c. n. 4. cum plurimis. *Ibid.* n. 9. concludit *Suar.* Unde addendum est, quod licet poenitens accedat sine proposito recipiendi absolutionem, vel sine contritione et proposito se emendandi; nihilominus si habeat voluntatem se accusandi, et subijciendi in illo foro, ut potuerit, vel ut aliquo modo satisfaciatur Ecclesiae, vel certe ut a Sacerdote aliquo modo curetur, id satis esse ad sigillum, quia jam illa est saltem inchoata confessio.

859. V. Siquis Confessario extra sacramentalem confessionem dicat: Hoc tibi secretum committo tanquam sub confessionis sigillo, et Confessarius ita acceptet, oriatur hinc obligatio secreti tantum naturalis, non sigilli sacramentalis. Ita *Laym.* l. c. n. 2. cum *S. Antonino*, *Palud.*, *Adriano* et aliis. *Ratio* est, quia non est in potestate hominis, cuiquam obli-

gationem ejusmodi extra confessionem sacramentalem imponere, sed ad summum, si alter consentiat, secretum naturale.

860. Q. III. Quatenam sit materia sigilli sacramentalis? R. cum *S. Th.* in supplem. q. 11. a. 2. in corp.: *Dicendum, quod sigillum confessionis directe se non extendit, nisi ad illa, de quibus est sacramentalis confessio, sed indirecte, id quod non cadit sub sacramentali confessione, etiam ad sigillum confessionis pertinet, sicut illa, per quae posset peccator, vel peccatum deprehendi.* *Babenst.* l. c. n. 15. totam materiam, in quam cadit obligatio sigilli, reducit ad sex classes. Ad primam pertinent omnia mortalia peccata tam in genere, quam in specie, ex quorum revelatione in notitiam personae delinquentis deveniri potest. Ad secundam omnia venialia in specie, non autem in genere. Ad tertiam peccatorum circumstantiae, ex quibus istorum notitia hauriri potest. Ad quartam imperfectiones et inhabilitates cum naturales, tum personales, quae ex peccatis cognitae sunt, v. g. defectus natalium, irregularitas, impedimentum matrimonii etc. Ad quintam peccata et defectus complicitis, quos manifestavit poenitens in confessione. Ad sextam indispositio poenitentis, v. g. defectus doloris, propositi, scientiae necessariae etc. *Ratio* est, quia horum revelatio confessionem redderet odiosam. Unde

861. *Resolves* I. Confessarius violat sigillum, quamvis generatim dicat, Titium sibi confessum peccatum mortale, casum reservatum etc., vel si dicat, se illum non absolvisse: quia hoc cedit in infamiam confitentis, et Sacramentum reddit odiosum. Suppresso vero nomine poenitentis tum quis loqui potest de peccatis in confessione auditis: primo si illorum auctores nec directe nec indirecte manifestentur, quia ex hac manifestatione, quod haec vel illa peccata in mundo committantur, nulla fit Sacramento vel poenitenti injuria. Secundo si nulla omnino de auctore possit inde oriri suspicio, aut in certam familiam, aut locum redundare infamia. Monet tamen *Suar.* l. c. sect. 3. n. 8., ut sine magna utilitate, v. g. causa consilii capiendi a viro docto, vel necessitate non misceantur sermones de auditis in confessione, etiam in genere, praesertim coram multis, et maxime in eodem loco et civitate. *Ratio* est, quia ex istiusmodi colloquiis saepe rudes scandalizantur, existimantes sigillum violari, non raro etiam sagaces ex variis circumstantiis in cognitionem vel suspicionem peccatoris deveniunt.

862. II. Non licet Confessario loqui etiam de peccatis publicis in confessione auditis extra confessionem, nisi aliunde illorum notitiam jam habuerit. Unde graviter delinqueret Sacerdos dicens: Fur heri suspensus confessus est mihi sua furta etc. Dixi, nisi aliunde etc., quia non prohibetur Sacerdos de peccato aliunde sibi noto loqui, dummodo nihil addat ex notitia per confessionem accepta. *Laym.* l. c. n. 3.

863. III. Juxta *Sporer* p. 3. c. 7. n. 842. agit contra sigillum Confessarius, si dicat, hunc poenitentem esse scrupulosum, caput audientis rumpere, morosum, rudem et hebetis ingenii, ex supposito, quod tales defectus aliunde non sint noti. *Ratio*, quia etiam similium manifestatio hominibus est ingrata, ideoque sufficiens ad Sacramentum odiosum reddendum. Excusat tamen *Lugo* hoc in genere Confessarios, qui hos defectus non cognoscunt ex confessione poenitentis, sed ipsi eos vident et percipiunt.

864. Q. IV. Quomodo sigillum confessionis differat a secreto naturali? R. Secretum naturale non semper pro semper obligat, sed ex justis causis cessat ejus obligatio, v. g. si observatio secreti cedat in grave damnum reipublicae, aut personae innocentis; item si secretum grave dam-



num allaturum esset illi, qui tibi id commisit, aut si tibi ipsi gravis mali periculum immineret ex secreto non manifestato. *Ratio* est, quia secretum non potest obligare contra charitatem alteri vel sibi debitam, nec quisquam, dum secretum servare promittit, censetur obligationem ad similem casum velle extendere. *Bonac.* de Restit. d. 2. q. 2. pun. un. n. 9., *Laym.* l. 3. t. 3. p. 2. c. 5. n. 1. et alii. E contra nullus casus datur, in quo non obliget sigillum confessionis seclusa expressa licentia poenitentis. Unde

865. *Resolves.* I. Quod sigillum confessionis etiam cum periculo capitis obliget; violatio enim (cum sit ex praecepto divino et naturali prohibita, semperque injuriosa Sacramento, quod exinde redderetur odiosum) est intrinsece mala: ergo ad evadendum periculum vitae, aut conservandum totum mundum aequae parum licita est, ac blasphemia. Ita communis. Imo nec licet ad evitanda gravia mala revelare culpam levem; quamvis enim talis revelatio non sit gravis infamatio poenitentis, est tamen injuriosa Sacramento, et intrinsece mala.

866. II. Addit *Suar.* hic. d. 33. sect. 1. n. 16., nec licitam esse revelationem, etsi illa sit utilis poenitenti, et credatur non fore ingrata, contra *Altisiod.*, tum quia cessante fine legis in particulari non cessat illius obligatio, tum quia non tantum ratio habenda est commodi poenitentis in particulari, sed etiam ipsiusmet Sacramenti. *Ibid.* affirmat *Suar.* cum *Covarr.* contra quosdam Canonistas, quod nunquam liceat etiam post mortem poenitentis manifestare peccatum illius, eo etiam casu, quod revelatio videretur necessaria ad impediendum usum alicujus matrimonii, quod nullum est. *Ratio* est, quia obligatio sigilli semper durat, et fama proximi etiam post mortem servanda est, imo hoc necessarium est ad bonum usum hujus Sacramenti; timerent enim vivi peccata sua aperire, si vel post mortem revelari possent.

867. III. Confessarius de auditis in confessione interrogatus vel debet eludere interrogationem dicendo, poenitentem fecisse quod debuit facere, aut quaestionem esse injustam et sacrilegam, ad quam nefas sit respondere, vel (si hoc non sufficiat) coram iudice simpliciter, imo cum juramento, si opus sit, debet affirmare, se nescire, poenitentem tale scelus commisisse: neque tunc Sacerdos utitur aequivocatione aut restrictione, nec mentitur, quia respondet ad sensum interrogationis; homo enim (ut ait *S. Th.* in supplem. q. 11. a. 1. ad 3.) non adducitur in testimonium, nisi ut homo: et ideo absque laesione conscientiae potest jurare, se nescire, quod scit tantum, ut Deus, h. e. Dei vices gerens.

868. Q. V. Quomodo violetur sigillum confessionis? R. Dupliciter. 1. *Directe*, scil. revelando expresse aliquid ex sola confessione cognitum. 2. *Indirecte*, aliquid ex confessione dicendo vel faciendo, ex quo quis cognoscere vel suspicari possit peccatum vel defectum poenitentis, ex quo poenitenti vel alteri pudor, molestia, infamia, damnum oriri posset, etiamsi audiens id aliunde sciat; haec omnia reddunt confessionem odiosam. *Antoine* de poenit. c. 4. q. 3. Unde

869. Q. VI. Quosnam obliget hoc sigillum? R. Omnes illos, qui peccata vel defectus ex confessione sacramentali etiam tantum inchoata sive licite sive illicitate, sive mediate sive immediate perceperunt, excepto ipso poenitente circa peccata, quae concernunt solam ipsius personam. *Ratio primi* est, quia nisi quilibet ex praedictis teneretur obligatione sigilli, sacramentum redderetur exosum, et fideles arcerentur ab illius usu et frequentia. *Ratio secundi* est, quia obligatio sigilli est in favorem poenitentis, qui potest juri suo cedere, et dare licentiam revelandi sine irreverentia sacramenti,

aliove incommodo. Tenetur tamen poenitens ad secretum circa ea, quae Confessarius illi dicit sub secreto. *Suar.* l. c. sect. 4. n. 2. cum *Rich.* et *Soto* contra *Palud.*

870. Specialiter tenentur obligatione sigilli primo, Confessarius, ut patet. De ficto etiam Confessore dictum est num. 855... Secundo, *Interpres*, quo utitur poenitens ad confitendum, quia hic notitiam peccati accipit a confessione sacramentali, quod mediante ipso subjicitur clavibus. *Confirm.* *Interpres* non tantum est instrumentum poenitentis, sed etiam Sacerdotis, nam sicut poenitens per illum loquitur, ita Sacerdos suo modo per illum audit, ideoque participat secretum ejus. Ita *Suar.* l. c. sect. 4. n. 5. contra *Cajet.* Tertio, *Consiliarius*, quem Confessarius consulit circa peccatum poenitentis, sive culpabiliter sive inculpabiliter venerit in notitiam peccatoris, de cujus peccato consilium ab eo requisitum fuit; quia ea notitia oritur ex confessione sacramentali, et in ordine ad illam datur. *Suar.* *ibid.* n. 6. cum *Adriano* et *Navar.* Quarto, *Superior*, ad quem defertur casus reservatus vel a poenitente, vel a Confessario in ordine ad impetrandam facultatem absolventi a reservato, quia etiam haec notitia oritur ex confessione saltem inchoata. Quinto, *Adstantes*, qui sive contra voluntatem, sive furtive de industria aut malitia alterius confessionem audiunt. Item omnes, quibus alterius confessio sacrilege revelata est. Item si quis coram multis ex necessitate praesentibus confitetur, v. g. in naufragio, conflictu, nosocomio etc., nemo ex praesentibus citra violationem sigilli potest revelare audita in confessione. Ita *Sporer* l. c. n. 852. Denique obligatur ad sigillum servandum, qui peccata poenitentis descripta legit, dum poenitens ex scripto confitetur. Qui vero peccata alterius scripta invenit ante vel post confessionem, juxta *Suar.* l. c. n. 5. tenetur ea reticere sub secreto naturali, juxta *Rodrig.* sub sigillo confessionis, quod *Antoine* tanquam favorabilius sacramento judicat esse tenendum. Notat hic *Leonard.* n. 148. eum, qui in ejusmodi chartam incidit, non posse ulterius legere, ubi novit peccata esse scripta ad peragendam confessionem, scil. si noverit eum, qui scripsit; secus si non sit periculum veniendi in notitiam scribentis.

871. Q. VII. An licitum sit Confessario loqui cum poenitente de peracta confessione? R. 1. Licitum est, si fiat statim post datam absolutionem, dum confitens adhuc versatur in sacro tribunali; quia tunc censetur fieri in eodem iudicio sacramentali, idque saepe est necessarium, quando videtur monendus adhuc esse poenitens. *Illung. Lugo* de poenit. d. 23. sect. 5. n. 129.

872. R. 2. Etiam in sequenti confessione licitum est confessario loqui de illis, quae poenitens dixit in priori, si id necessarium, vel magis utile videatur, v. g. ad emendandam consuetudinem, eradicandam passionem etc. Debet enim Confessario, ut bene dirigat poenitentem, status illius esse perspectus, cujus cognitio ex praeteritis confessionibus optime hauritur. *Illung.* hic n. 251.

873. R. 3. Extra confessionem non licet Confessario loqui cum ipso poenitente de peccatis in confessione auditis, sine facultate ejusdem; quia licet poenitens inde non infamaretur, posset tamen exinde rubore suffundi, quod haud dubie sacramentum redderet odiosum. *Laym.* l. c. n. 9.

874. Q. VIII. An aliquando Confessario licitus sit usus notitiae ex confessione haustae? R. 1. Illicitum est uti notitia confessionis, quoties intervenit, vel prudenter timeri potest periculum violandi sigillum, vel causandi aliquod incommodum poenitenti. *Rationem* dat *Bonac.* l. c. sect. 5. pun. 4. n. 8., quia si liceret uti scientia ex confessione accepta, revelarentur peccata poenitentis saltem indirecte; alii enim, aut saltem ipse poenitens conjicere posset hanc vel illam sui correctionem etc. fieri ob